

quin plurimos sustinet apud antiquos æque ac recentiores significatus recensitos illustri CHRISTIANO THOMASIO in introd. ad philosoph. aulicam c. II. §. 22. †

§. IV.

*Historiae philosophicae definitio.* His observatis quodammodo est judicare quid historiae philosophiae veniat nomine, scilicet : *vera ac non ficta rerum à philosophis in cognitione veri & actione boni generatarum commemoratio hominum cognitione usuique in reliquis scientiis consignata.* Atque de hac generatim spectata qui ex professo, quod ajunt, scripserit, cum mihi hucusque repertus sit nemo, nunc animus est paucis & pro modulo virium de ea commentari. Equidem non latet, quod inter meditationes manuscriptas \* JACOBI THOMASII simul reperiatur peculiaris quædam ad hoc argumentum spectans observatio, sed cum eam publice videre hæcenus expectaverimus frustra; aliquem hic nostris cogitationibus adhuc relictum esse locum arbitramur. Unde nunc eadem Eruditorum judicio non nisi cum sincera tenuitatis nostræ confessione subjicimus, sat contenti, si illæ paucis, cordatioribus tamen, saltem non plane displicuerint; quibus quod reliquum est, aliorum meditationibus magis politis magisque doctis vel tantillum obesse nec volumus nec valemus.

§. V.

*Ejus argumentum.* Qui modo prolatam historiae philosophicae descriptionem paulatim perpendet, facile deprehensus est quousque ejus tractatio sit extendenda. Agit enim de Philosophis, qui aliquam sapientiae speciem præ se tulerunt: hi vel considerantur, quatenus vitam fataque experti omnibus communia, vel quatenus in actione boni & cognitione veri

† Conferendus cum hoc B. JACOBUS THOMASIIUS *pro-grammat. LV. p. 647. de vocabulo philosophia, nec non Illustris noster SLEVOGT in diss. de philosophia in genere.*

• *Vid. Index med. manuscript. Cod. cui tit. hortus recreationis num. XCI. p. 171.*